



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Cornelii Cvrtili Cæsarei Consiliarij et Historiographi
Ordinis Eremitarum S. Avgvstini S. Nicolavs Tolentinvs
alijque aliquot eiusdem Ordinis Beati**

Curtius, Cornelius

Antuerpiæ

B. Fridericvs, Ratisponensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37243

B. FRIDERICVS, RATISPONENSIS.

NISI vetustus in sacrae aedis ta-
 bulâ penicillus loqueretur,
 viri hujus sanctitatem tacerent
 omnes annales. Nempe id ævi,
 mutierant Eremitæ nostri, male-
 bantque in virtutem ipsam incum-
 bere, quàm in virtutis præconia;
 contenti cælestibus fastis nomina
 sua inscripsisse, tanquam hoc esset
 satis duraturû monumentum. Por-
 tõ FRIDERICVS erat ex classe eo-
 rum Fratrum, qui ad nidorem co-
 quinae, aliaque domus infima mi-
 nisteria deputati, viliora negotia
 obeunt: sed quæ ille tam libenter
 ac sedulò curabat, ut cum hanc ser-
 vitutem serviret, regnare tum sibi
 videretur. Et verò simplex atque
 pura obedientia cælo gratior est,
 quàm varia & superba doctrinae
 elegantia: ut magis sapiant, qui
 minimè sapere videntur; cum in-
 terim Cælites se ad eos demittunt,
 qui

qui humi repentes nunquam se erigunt. Ad testem hunc provoco FRIDERICVM : quo tam familiariter aliquando Angeli usi sunt, ut summâ etiam hieme rosas ei attulerint fragrantés, & odore nobilissimo hortos suos, unde decerpserant, loquentes.

Ut nihil mirum sit, si pro alienâ salute anxium improvise solatio etiam recreârint. Excubabat forte ad ægrum FRIDERICVS, & victos sopore oculos connivebat, cum, ecce, à cælo beatus Genius visus est illi assistere, & cælestibus deliciis, visisque inusitatis demulcere. Ut ne inane somnium esse crederet, fidem abundè fecit ægrotus, qui à morbo liber penitus suam FRIDERICO sanitatem gratulatus est.

Illud verò maximo opere mirandum prodigium est, quod sine stupore vidit Monasteriarcha. Primum-condum agebat FRIDERICVS, & in cellam vinariam descenderat, ut Fratribus cœnaturis vinum in mensâ propinandum educeret, Epistomio extracto, & intra
zonam

zonam condito, dum fluit vinum, vocatur à Præsìde. Ille subitò ad- volat, non obturato interim siphone (tantum erat obediendi stu- dium) & quid se velit, quærit. Cœ- nobiarcha verò, ubi animadvertit in cingulo illius epistomium, terri- tus, ne quid detrimenti hæc incu- ria daret, parili repentè cursu cum FRIDERICO in cellam contendit, & videt rem non visam istactenùs; videt, inquam, liquorem veluti gelu forti adstrictum stare, siphone aperto. Stat itaque & ipse atroni- tus, miraturque Fratri obedienti obedire etiam non jussu vinum.

Sed promus-hic-condus inter Fratres quibus penum dispensabat, etiam mendicos numerare solitus est, quos pari cum aliis Fratribus charitate complexus, non minori cum sollicitudine curabat; ut, unde posset, cibaria eis conderet, quæ promeret deinde ad cœnobii fores, & in singulos fideliter, fre- quenter tamen clàm suo Præsìde, dispertiret. In euntem ergo, & jam panibus, quos ad mendicabula fe-
 L 7 rebat,

rebat, onustum offendit Cœno-
biarcha, & morari jussum, quid re-
rum gerat, interrogat: at ille sta-
tim aperit sinum, ostenditque (cæ-
lo pium ejus furtum tegente) scidia
& assulas, in quas mirā metamor-
phosi panes transferant: sed eas
mox in priorem naturam reverbos
distribuit famelicis absumendos.

Contigit deinde eum, qui estu-
riens tam crebrò paverat, fame
incredibili supra modum stimulari.
Ad lignile imperio Præfecti sui
damnatus, ibat pedibus quidem
non invitus, animo tamen magis
ad ædem sacram ambulabat; ut de-
siderium, quo ad Eucharisticum
epulum ardebat, expleret. Quid fa-
ceret? obedientia victimâ porior
erat. Sed, ecce, dum securi cuneis-
que in truncos & ligna brachio-
rum vires exerit, adsunt ab alto
Cælites famuli, & divinam ei spor-
tulam, parvo in orbiculo magnum
Virginis Filium manu suâ propi-
nant. ut jam aliis templum non in-
videret, quando in lignili ipsum
cælum reperisset.

Fasti-

Fastidivit abhinc omnes humanos cibos, donec anno M. CCC. XXIX. ad Divorum mensam à Deo invitaretur, deliciis illis quotidie cum Angelis insatiabiliter deinceps fruiturus. Testimonium sanctitatis ejus dixere prodigia, quæ ad funeris ejus contactum plurima contigerunt.

B. ESAIÆ